



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte  
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

XVIII. Vtrùm status Episcoporum perfectior sit quàm status Religiosorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

hæc, & similia pastoralia opera obligat, ex parte materię status est perfectionis exercendæ. Probatur consequentia, tum quia status, qui obligat ad actiones perfectas, & ad frequentem earum usum, status perfectionis est: sed talis est status horum parochorum: ergo. Tum etiam, quia status ex natura sua supponens, & requirens in persona sufficientem virtutem ad opera ex genere suo perfecta, & vitandi contraria, merito dici potest status perfectionis; talis autem est hic status, vt ex verbis Concilii colligitur. Et confirmari optime potest ex his, quæ de his munetibus, & ministris eorum tradit Basilius in regul. moral. regula 70. præsertim c. 10. 11. 13. 16. 19. & sequent. & regula 80. c. 11. & sequentibus. vbi de prædicatoribus verbi Dei loquitur, à fortiori autem hos comprehendit, quibus ex officio munus hoc conuenit.

27. *Confirmatur virtus ex Pontificali Rom.*

Vnde confirmari hoc potest secundo: nam in Pontificali, inter alia munera, hæc duo tribuuntur Sacerdoti, scilicet, *præesse, & prædicare*, & subditur inferius, hos designatos esse in septuaginta discipulis à Christo electis, quos binos ante se in sit: *Vt doceret, ait, verbo simul, & factis, in vestros Ecclesia sua fide, & opere, debere esse perfectos.* Tribuuntur autem sacerdotibus illa munera, non quia ex vi solius ordinationis, ius gubernandi, seu exercendi pastorem curam, & prædicandi accipiunt: sed quia ad illos fines inter alios ordinantur, & quasi proxime disponuntur. Et sic etiam dixit Isidor. lib. 2. de diuin. offic. c. 7. *Sacerdotibus, sicut Episcopis & dispensatio mysteriorum Dei commissæ est: præ sunt enim Ecclesia Christi; & in consecratione diuina corporis, & sanguinis conforres cum Episcopo sunt; similiter, & in doctrina populorum, & in officio prædicationis.*

28. *Non inferiori superiorum resolutionem esse Episcopos in altiori gradu perfectionis.*

Nec obtabit, quod Episcopi sint in altiori gradu perfectionis, quam isti inferiores prælati, vel Curati. Quia sicut in statibus acquirendæ perfectionis, vnus esse potest perfectior alio, vt postea videbimus; ita etiam sub communi statu perfectionis exercendæ, potest esse varietas, & inæqualitas in gradu perfectionis. Sic ergo dubitandum non est, quin Episcopi sint in altiori gradu perfectionis, quam inferiores prælati; quia quo vniuersaliorem, & principaliorem habent curam, eo ad illuminandum excellentius, magisque perficiendos alios, verbo, & exemplo obligantur. Vnde peculiari etiam potestate ordinis, ex officio possunt alios confirmare, presbyteros ordinare, Episcopos consecrare, & per potestatem iurisdictionem altiore, & vniuersaliorem prouidentiam diœcesis suæ habere tenentur; & simul congregati in Conciliis, etiam in vniuersalem aliquem influxum, saltem suffragium ferendo habere possunt. Ideoque excellentiorem virtutis, & perfectionis statum munus illud postulat. Hoc autem non obstat, quo minus etiam inferiores prælati, in statu perfectionis sint, quatenus ad multa opera eiusdem rationis destinantur, licet non eodem modo nec in tam excellenti gradu. Imò etiam sub ipsis Episcopis inuenitur varietas, & inæqualitas. Nam inferiores prælati, qui participant iurisdictionem Episcopalem, ad plura, & perfectiora opera obligantur; & ideo proximi sunt Episcopis in statu perfectionis: & qui inter eos sunt exempti, videntur etiam ad maiorem perfectionem obligari, vel in eis supponi debere; quia quo superiori modo, magisque independenti operantur, eo perfectiores, & aptiores ad tale regimen supponuntur. Denique in infimo gradu erunt Curati, quia magis limitatam habent spheram, & actionem: nihilominus tamen aliqua ex parte illum statum participant, quatenus ex officio eisdem operibus perfectionis magna ex parte incumbunt.

29. *Probabile est inferiorem operum eorum munus dicta sunt, videtur*

Ex his ergo, quæ de immutabilitate horum prælatorum inferiorum in suo munere, & de perfectione operum eorum munus dicta sunt, videtur

probabiliter colligi, hos prælatos, seu pastores animarum esse aliquo modo in statu perfectionis exercendæ, non acquirendæ, seu in statu perfectionis non perficiendorum, maxime, si cum munere huiusmodi sacerdotalis ordo coniungatur. Nam sicut Innoc. III. dixit, coniugium Episcopi cum sua Ecclesia consecratione consummari, si institutio, seu collatio, aut electio, & confirmatio in tali prælatione aut beneficio antecedit; ordinariè verò solet precedere ordinatio sacerdotalis. Et ideo diximus supra, per illam quasi inchoari statum perfectionis simplicium sacerdotum: nunc verò addimus, addita pastoralis cura compleri quodammodo in suo gradu aliqualem statum perfectionis huiusmodi prælatorum. In quo aliquid considerari potest pertinens ad perfectionem vitæ contemplatiuæ, & aliquid vitæ actiuæ; & primum habere ex vi factæ ordinationis; secundum autem ex vi prælationis. Nam ratione ministerii consecrandi, & offerendi corpus Christi, quod per sacerdotalem ordinationem accipiunt, ad altiore rerum diuinarum considerationem, maioremque animi puritatem obligantur; ratione verò prælationis tenentur salutem proximorum procurandæ incumbere. Et quia ex vi ordinationis, & suspensionis talis muneris ad vitæ que opera perpetuò dicantur, non incongruè dicuntur esse in statu perfectionis dicto modo; licet in gradu inferiori, vel infimo illius ordinis, vt explicatum est. Et sanè quauis D. Thomas, Caietanus, & alii, in modo loquendi differant; in re non discrepant. Nam idem D. Thomas Math. 5. in vltimis verbis distinguens statum perfectionis vitæ in tria membra, vnum vocat ordinis, alium prælationis, & tertium religionis, significans non solum prælatos omnes, sed etiam clericos esse in statu perfectionis. Vnde aliqui conciliant illas sententias dicentes, hos prælatos non simpliciter, sed tantum secundum quid esse in statu perfectionis, quod facile potest admitti, nec de vobis contendendum est; & res ipsa in sequenti cap. 18. explicabitur.

CAPVT XVIII.

Utrum status Episcoporum perfectior sit quam status religiosorum.

Hæc comparatio odiosa videri potest, & ideo vitanda; vt terigit Waldens. lib. 3. tom. 3. de sacramental. t. 9. cap. 8. Veruntamen facile tollitur inuidia, si & prudenter, ac moderate tractetur, simulque consideretur, non fieri comparationem inter personas, vel merita earum, sed inter status, eorumque conditiones, seu qualitates. Vel, vt dixit D. Thomas d. q. 184. a. 3. *Comparatio fit ex genere operum, non ex charitate operantis*, sicut Christus Luc. 7. vitam contemplatiuam actiuæ prætulit, dicens: *Maria optimam partem elegit.* Sic ergo comparatio non est odiosa, sepeque in discursu huius materię occurret. Fortasse tamen videbitur hoc loco præpostera dicta comparatio; quia nisi sint extrema cognita, non potest inter ea comparatio fieri: hæc tamen autem nondum explicuimus religiosum statum; quomodo ergo possumus illum cum alio statu comparare. Veruntamen ad comparationem faciendam sufficit nobis generalis diuino superiori data de statu perfectionis exercendæ, vel acquirendæ. Nam hæc membra secundum generales rationes suas satis explicata sunt; & secundum illas tantum status prælatorum, & religiosorum, quasi ex genere suo comparamus. In hac autem comparatione duo possunt inquiri; vnum est, quia status istorum sit perfectior, comparando maximum, & perfectissimum statum vnus ordinis ad maximum alterius. Aliud est, singulos status vnus generis cum singulis alterius conferendo: ex his autem comparationibus, prior in præsentī capite definitur; quia reducitur

*Comparatio non fit inter personas, sed inter status.*

docetur ad comparationem status Episcopalis cum religioso: de altera vero in cap. 19. dicemus.

Dico ergo Episcoporum statum esse perfectiorem, quocumque statu religioso; ac subinde statum perfectionis exercenda, perfectiorem ex suo genere esse, quam statum acquirenda perfectionis. Hæc posterior pars clara est, quia comparatio ex genere fit secundum suprema capita utriusque extremi; in statu autem perfectorum, seu perfectionis exercenda, Episcopatus est summus; ergo si ille excedit omnem statum perfectionis acquirenda, profecto ille status statutorum ex genere suo perfectior est. Prior igitur pars probatur in primis ex Conciliis, Pontificibus, & aliis Patribus c. 13. allegatis, qui non solum dicunt Episcopos esse in statu perfectorum, sed etiam esse in sublimitate, cui nullus alius status potest adæquari. Deinde probatur ex operum excellentia, ad quæ ex vi illius status perpetuo obligantur, & consecratur prælati. Nam talia opera sine magna perfectione pro dignitate exerceri non possunt; & ex natura sua perfectiora sunt, & magis ardua, quam ea, ad quæ religiosi ex vi sui status consecratur; ergo status Episcopii excedit absolute totum ordinem status religiosi. Consequentia est clara, quia status perfectionis, quasi specificatur ab actibus, ad quos principaliter ordinatur. Vnde ex habitudine ad perfectiores actus, status iudicandus est perfectior; præsertim, si modus habitus nis sit etiam perfectior, ut est in Episcopo; quia est in illo, ut in perfecto, & perfectiore, & non ut in perficiendo.

Propositio autem assumpta ex muneribus Episcoporum stabilitur: nam in primis habent omnes excellentias, quas habent inferiores Prælati; & deinde habent illas vniuersaliores, & altiori modo; & præter eas habent alias omnino proprias, & valde perfectas; quæ omnia breuiter declarantur. Nam in primis habet Episcopus commune cum aliis inferioribus docere, prædicare, & illuminare alios verbo: imò hoc munus quasi per antonomasiam solet tribui Episcopis; quia & maior auctoritate illis conuenit, & ipsos etiam inferiores pastores sibi subordinatos illuminare debent. docere, & dirigere. Propter quod Concil. Trid. sess. 23. c. 11. de Reformat. dicit; *Prædicare esse proprium Episcoporum munus*, iuxta præceptum Christi datum Apostolis Marci vlt. *Prædicare Evangelium*: nam in eo munere Episcopi Apostolis succedunt. Et in Pontificali Romano, sub titulo de Consecratione Episcopi, inter munera Episcopi ponitur interpretari, utique Scripturam, *quando verbum Dei fidelibus proponit*, seu prædicat, hoc enim multo magis ad Episcopale munus pertinet, quam ad inferiores in multis. Vnde in septima Synodo post actionem septimam c. 2. dicitur: *Substantia summi sacerdotis nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera Scripturæ diuinarum disciplina*. Et refertur in c. omnes, 38. d. Et Origen. homil. 6. in Leuiticum. *Hæc duo, inquit, sunt Pontificis opera, ut à Deo discat legendo diuinas Scripturas, & sepius meditando, ut populum doceat.*

Secundo pertinet maxime ad Episcopum omnes exemplo illuminare; quia non potest abscondi ciuitas supra montem posita; & quia bonus pastor ante oues vadit, & oues illum sequuntur. Vnde Conc. Tolet. XI. cap. 2. *Quantum quis, inquit, præcessit culminis obinet locum, tanto necesse est præcedat ceteros gratia meritum, ut in eo, quo præfatus singulari, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens imper in ore glad um veritatis, & in opere effluens lumen*. Quæ verba pio, & erudito scholio illustrat ibi insignis eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus D. Garcia à Loaysa; in quo ex Scripturis, & Patribus multa ad hoc confirmandum congerit. Tertio desideratur maxime in Episcopo charitas tum in Deum, qui est principalis omnium Dominus, ut signifi-

ficauit Christus Ioan. 21. cum ter interrogauit Petrum, an se diligeret, priusquam illi oues suas commendaret: tum in subditos, quos & tolerare, & benignè suscipere, ac patienter ferre; eorumque necessitatibus subuenire, & inferuire debet, iuxta illud Pauli. Corinth. 9. *Omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerem*. Et infra, *Factus sum infirmis infirmis, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus, ut omnes facerem saluos*. Ac denique peculiari modo ex vi sui muneris tenetur ita diligere oues, ut animam pro eis ponat, si oportuerit, ut Ioan. 10. Christus docuit. Vnde necessaria illi maxime est patientia, quæ opus perfectum habet; quia non tantum misericordiam, sed iustitiam etiam, & interdum fortiter, & seuerè seruare oportet: vnde necesse est, ut ab improbis multa patiat. Propter has ergo, & similes causas, thronus Episcopalis, locus maximæ perfectionis est.

Plures verò difficultates circa hanc comparationem occurrunt. Prima est, quia licitum, imò, & consultius est id appetere, & procurare, quod perfectius est; & consequenter etiam licet illud vouere: sed appetere Episcopatum, vel non est bonum; vel certe non est consulendum, & ideo non est conueniens materia voti, quod esse potest de quolibet meliori bono; ergo non est Episcopatus status maxime perfectus, nec statui religioso præferendus, cum religiosum statum & consulere, & appetere, & vouere optimum sit. Et confirmari hoc potest, quia votum non ingrediendi religionem, per se est nullum, tanquam repugnans maiori bono; votum autem non acceptandi Episcopatum, per se bonum est, & validum: ergo signum est meliorem esse statum religiosum, quam Episcopalem.

Secundo obiicitur, quia saltem latitudine religiosi status datur aliquis perfectior statu Episcoporum. Nam in primis in omni statu religioso completo, & proprio emittuntur tria substantialia vota de tribus præcipuis consiliis, quæ Episcopi ex vi sui status præcisè spectati, non emittunt. Et præterea religiosi multa opera obseruantia regularis profitentur. Et ultra hæc omnia, nonnulli ex vi sui instituti, & status incumbunt illis operibus, quæ in Episcopo summæ perfectionis esse videntur; ut sunt meditatio, & contemplatio rerum diuinarum: prædicatio verbi Dei; & pro animarum salute, cura, & sollicitudo, ex voto, & obedientia suscepta, non solum cum magnis, & arduis laboribus; sed etiam vitam multis periculis pro Christi ouibus exponendo: ergo talis religiosus status totam perfectionem Episcopalis status complectitur, & addit religiosæ vitæ perfectionem, & abnegationem temporalium rerum, & bonorum, quam status Episcopalis per se non includit: ergo superat illum instar totius, quod parte maius est. Et confirmari hoc potest saltem de prælati religiosi: nam illi cum religioso statu coniungunt Episcopalem, quantum ad munus spectat, absque consecratione, quæ ad statum perfectionis parum addere videtur; ergo pensatis omnibus sunt in statu perfectiori, quam seculares Episcopi. Quod argumentum magis vrget in Prælati perpetuis, & præsertim, si principalem, vel supremum locum habeant, ut Generales, vel etiam Prouinciales.

Tertio obiicitur, quia si status Episcopalis esset religioso perfectior, qui haberet votum religionis impleteret illud, acceptando Episcopatum, quia votum satis implet, qui in melius illud commutat, iuxta cap. *peruenit*. de iur. iurand. Consequens autem est contra caput *per tuas*. de voto: vbi habenti votum Religionis, qui illud non impleuerat, & Episcopatum acceperat, consultit Pontifex, *ut si conscientiam suam sanare desiderat, Episcopatum relinquat, & votum suum impleat*. Ergo signum est, censuisse Pontificem statum religiosi

Prima est  
tra præca-  
dentem de  
firmam  
obiectio.

Votum  
non ingre-  
diendi reli-  
gionem, per  
se est nul-  
lum.

Secunda  
obiectio.

Confirmatio

Tertia ob-  
iectio.

Handwritten notes in large letters: "D N O" and "S V A L E R E P T" (likely "Sua Vale Rept").

gionis non esse perfectiorem. Probatum consequentia simul cum majori; quia, qui vult ingredi religionem laxiorem, satis implet votum, ingrediendo strictiorem; ergo, qui vult statum interiorum perfectionis, etiam adimplebit votum assumendo perfectiorem: ergo e contrario si votum religionis non impletur per Episcopatus professionem, signum est, statum Episcopi non esse perfectiorem. Et confirmatur, quia si status Episcopi est perfectior, non erit licitum illo relicto descendere ad statum religiosum, etiam de licentia Papae: nec Papa poterit licite dare talem licentiam, sine alia extrinseca causa, vel necessitate, quia si Episcopatus est perfectior status, ex solo intuitu perfectionis religiosae, non potest iusta causa talis mutationis oriri: dispensatio autem sine iusta causa concessa, non est licita; consequens autem est falsum, & contra usum Ecclesiae, imò contra commune prudentium consilium, qui non tantum purant huiusmodi transitum posse licite fieri de licentia Papae, sed etiam, ut melius consulunt, etiam si nulla alia causa intercedat, praeter desiderium propriae perfectionis, dummodo Ecclesiae v. cantu per huiusmodi transitu possit aequè bene provideri.

8. *Emergatur prima obiectio. Episcopatus apparet per se non carere sub consilio.*

Circa primam obiectioem occurrebat disputatio, an appetere Episcopatum, vel illum procurare, licitum sit? Sed illum in opus de ordine omittimus; quoniam ad difficultatem in illo argumento tactam, satis est supponere, appetere Episcopatum non esse ex melioribus bonis, nec per se cadere sub consilio; sed ad summum in casu necessitatis, in quo etiam matrimonium consiliari potest. Verumtamen ad vim argumenti enervandam, in primis obiectimus, quòd, si esset argumentum validum, non solum probaret comparatiuè statum Episcopalem non esse statum perfectiorem, sed etiam absolute, non esse statum perfectionis. Quia omnis status perfectionis videtur esse ex melioribus bonis, & ideo ex se materiam esse consilii, & appetitus honestissimi, & voti, quod de meliori bono esse debet.

9. *Tres differentiae inter statum religiosum & Episcopalem numerantur. Prima, Secunda,*

Vt ergo difficultati satisfaciamus, oportet advertere, quod supra traditum est, status Episcopi, & religiosi esse diversarum rationum. Nam religiosus status per se est perfectionis acquirenda, & communicanda; quanvis consequenter sic etiam status augenda perfectionis in seipso; quia hoc augmentum ex usu perfectorum operum sequitur. Et hinc oritur alia differentia inter hos duos status, quod Episcopalis supponit perfectionem in eo, qui ad illum assumitur, religiosus autem minimè. Vnde Concil. Trid. Sess. 6. cap. 1. de Reform. statuit: *ut ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicè humeris formidandum, qui max. mè digni fuerint, quorumque prior vita atque omnium aetas à puerilibus exordiis usque ad perfecti vres annos per discipline stipendia E. clestastica laudabiliter acta, testimonium prebeant, secundum venerabiles Patrum sanctiones assumantur.* Quae ferè verba ex Zosimo Papa epist. 1. in principio, & Hormisdæ epist. 3. cap. 1. & Caestlin. epist. 2. cap. 1. & aliis decretis, quae à Gratiano dist. 61. referuntur, sumpta sunt. At verò e contrario ad statum religiosum imperfecti, & peccatores nuper ad Deum conuersi recipiuntur, quia, vt perficiantur, assumuntur.

10. *Tertia differentia.*

Tertia differentia est, quod status religiosus per se requirit ablationem impedimentorum perfectionis acquirenda; & ideo per vota consiliorum perfectionis constituitur: status autem Episcopalis ex se signari, quod Episcopalis status magnam dignitatem includit, ad quam per se consequitur magnus honor, superior potestas, & minor subiectio, & abundantia diuitiarum, seu rerum temporalium. Vnde fit, vt magnam perfectionem requirat talis status in

eo, qui ad illum ascendit, vt nò solum his rebus non impediatur, sed etiam illis omnibus ad excellentiora virtutum opera praestanda vtatur: status autè religiosus è contrario requirit paupertatem, subiectioem, & abnegationem temporalium bonorum.

Hinc ergo ad primam obiectioem respondemus primò, quod licet status Episcopalis sit perfectior ceteris, nihilominus propter illa, quae habet adiuncta, est in illius appetitu periculum praesumptionis, vel ambitionis, vel auariciae, aut cupiditatis diuitiarum; & ideo appetitum eiusmodi moraliter, ac per se loquendo non esse laudabilem, vel consulendum; & ob eandem rationem non est materia voti; quia licet Episcopatus secundum se magnum bonum sit, appetere tamen, vel procurare illum, non est ex melioribus bonis propter pericula: non potest autem voueri, nisi quod potest tanquam melius desiderari. Secus verò est in statu religioso, nam licet sit minus perfectus, simpliciter est melius bonum, quam omne aliud illi incompossibile; & aliunde non habet de se illa pericula; imò auferit impedimenta perfectionis, & incentiua illorum vitiorum, quae perfectionem impediunt; & ideo & appeti, & voueri, & consiliari potest.

11. *Prima responsio ad primam obiectioem. Status Episcopalis non est materia voti propter adiuncta pericula.*

Secundo dicimus, quod licet status Episcopi in se sit altior, & perfectior tanquam obligans ad perfectiora opera; & requirens in persona plures, & maiores virtutes: nihilominus status religiosus est utilior, & aptior ad perfectionem acquirendam, conservandam, & augendam, moraliter loquendo, omnibusque pensatis. Et ideo magis potest procurari status religionis, quam Episcopalis, & aptior est materia voti. Nihilominus tamen non est per se, & intrinsece malum vouere acceptare Episcopatum, si ab illis temporalibus commodis praecindatur; multo magis, si contrariis incommodis coniunctum sit, vt erat in primitiua Ecclesia; & nunc in Iaponia, China, & aliis similibus locis esse potest. Loquor de voto acceptandi, quia tunc iudicium de dignitate personae superioris relinquitur; & ita tollitur periculum praesumptionis: alia vero pericula ex dicta conditione Episcopatus, ablata supponuntur. Vnde procurare Episcopatum, etiam dictis conditionibus suppositis, vix probari potest, ne dum consiliari, vel voueri, quia tale desiderium supponit iudicium de propria sufficientia, & dignitate, quae existimatio de se ipsa periculosa est. Nihilominus tamen in casu aliquo potest hoc honestari, vt si magna sit necessitas Ecclesiae, & tanta incommoditas Episcopatus, vel ob aëris inclementiam, vel ob alia pericula mortis, vel ob regionis distantiam, vt vix inueniretur aliquis ad tale ministerium aptus, qui Episcopatum acceptare veller. Tunc enim se offerre, opus esse posset perfectionis, & materia voti; sed de hoc latius in materia de Ordine.

12. *Secunda obiectio responsio. Status religiosus non est materia voti, vitiorum est materia.*

13. *Acceptans Episcopatum, aliquando potest esse materia voti.*

Ad confirmationem illius primi argumenti ex dictis facile responderetur, concedendo antecedens, nimirum, votum non ingrediendi religionem, regulariter, ac per se loquendo, esse inualidum: votum autem non acceptandi Episcopatum, per se validum esse, si debito modo fiat, vt recte docet D. Thomas 2. 2. q. 186. a. 2. ad 3. Negatur autem consequentia, nimirum, minus perfectum esse Episcopalem statum; solum enim sequitur esse minus securum, aut pluribus periculis expositum. Vnde, qui vouet non acceptare Episcopatum, semper habet subiunctam conditionem, nisi praecipiat ab habente potestatem, & ideo solum vouet non procurare illum, nec propria sponte, & quasi nixus suo iudicio de propria sufficientia, illud accipere: nec propter temporalia comoda, sed propter solum obedientiam, vel necessitatem charitatis illud suscipere. Ecce per huiusmodi votum non fitur

13. *Responsio ad contrarium eiusdem obiectioem.*

Episcopatus, ut status minus perfectus, sed si-  
cuti modus minus perfectus ascendendi ad illum.  
Et ita quoad hoc, tale votum est de meliori bono, &  
non claudit ianuam maiori bono; quia semper pa-  
rebtingressus ad Episcopatum, si superior precipiat.  
In statu autem religionis cessant hae rationes, vel  
pericula, & non solum status ipse perfectionis est,  
sed etiam modus obtinendi illum, ipsum appeten-  
do, petendo, & procurando, est optimus: ideoque  
tam votum non assumendi, quam non petendi, aut  
procurandi illum, per se illicitum, & inualidum est,  
nisi in aliquo casu ex circumstantiis personae, & alia-  
rum rerum, propter vitandum aliquem excessum,  
aut imprudentem modum procurandi talem sta-  
tum, votum honestetur.

14.  
Episcopatus  
ad iurisdictionem

Secunda obiectio est specialis de aliquibus status  
religiosis, & ideo exacta illius declaratio, ex inferioribus  
tractandis pender. Nunc ergo breuiter responde-  
tur, negando consequentiam, quia licet status reli-  
giosus interdum exerceat actiones pertinentes ad sta-  
tum perfectionis communicandae, seu exercendae  
circa alios, solum ministerialiter, & per quamdam de-  
legationem a supremis praelatis illam participant; &  
ideo talis status non attingit excellentiam status E-  
piscopalis, ad quem illae actiones principaliter, &  
quasi proprio iure spectant. Vnde obligatio exercen-  
ditalis actiones, & procurandi salutem animarum,  
& pendendi pro illis animam, si oportuerit, longè  
maior, & altior est in Episcopo, quam in quocunque  
simplici religioso, cuiuscunque sit instituti. Et ideo  
etiam ex ea parte status eius perfectior est. Praeterea  
ipsi Episcopi iure suo, & seculis priuilegiis sunt pa-  
stres, & perfectiores ipsorum religiosorum, cuius-  
cunque ordinis sint; & ideo ex vi muneris maior  
perfectio in Episcopo desideratur. Denique multae  
grauissimae & perfectissimae actiones pertinentes ad  
perfectionem alios, sunt propriae Episcoporum, vel  
ratione consecrationis, vel ratione iurisdictionis: ut  
fideles confirmare, sacerdotes consecrare, in verita-  
tibus fidei definiendis habere suffragium, & ad vni-  
uersale regimen Ecclesiae, quando oportuerit, vocari  
per eum, ad quem pertinet Concilia congregare,  
quae omnia, & similia totum ordinem status religio-  
si excedunt.

15.  
Episcopatus  
ad iurisdictionem

Vnde ad confirmationem concedimus, Praelatos  
religiosorum, ratione muneris habere peculiare per-  
fectionis munus. Quod si temporale sit, magis no-  
men officii, quam status meretur; si verò sit perpe-  
tuum, potest fortasse speciali ratione statum perfectio-  
nis vocari, & ad statum perfectionis pertinere, iux-  
ta dicta in precedenti capite. Nihilominus tamen  
respondetur, illos praelatos simpliciter esse inferiores  
Episcopis in perfectionis statu; quia illa veluti du-  
plex ratio status perfectionis, quae in talibus praelatis  
religiosis considerari potest, in statu Episcopali vni-  
uersaliori, altiorque modo continetur, ut patebit  
facile considerando, & applicando ea, quae in prin-  
cipio huius responsionis, & in probationibus asser-  
tionis dicta sunt. Tertia obiectio postulat grauem  
quaestionem, in sequenti capite tractandam.

CAPVT XIX.

An status Episcopalis adeo perfectus sit, ut in eo  
votum religionis impleatur. & expo-  
nunt cap. Per tuas.  
de voto.

Tertia obiectio in precedenti capite proposita  
nonnullas petit difficultates, quarum resolu-  
tio ad precedentis resolutionis exactam notitiam,  
necessaria est. Est autem praecipuum dubium, an il-  
le, qui vult ingredi religionem, & ante votum ex-  
pletum ad Episcopatum vocatur, possit licite, & si-  
ciliquar. de statu relig. tom. 3.

ne transgressione voti Episcopatum accipere, quasi  
votum in melius commutando, vel per fortius vin-  
culum illud extinguendo; ita ut consequenter ad  
votum implendum non amplius teneatur. videtur  
enim hoc se qui ex resolutione data, quod status E-  
piscopalis est perfectior religioso. Et tamen oppo-  
situm in illo textu definiti videtur. Primus modus  
respondendi est, non frangi votum illud acceptan-  
do Episcopatum, sed extingui, & consequenter ni-  
hil in eo peccari; nec relinqui obligationem postea  
renunciandi Episcopatu, & implendi votum,  
per se loquendo. Ita sentiunt Abbas, Antonin. &  
Henric. in d. cap. per tuas. ubi etiam non repugnant  
Hostiens. & Ioan. Andr. & sequitur Henric. lib. 10.  
de sacramento Ordin. cap. 32. in fine. licet addat,  
contrarium esse tuum, & communiter receptum, & ideo  
in praxi seruandum. Constantius id tradit vtrique E-  
manuel, Sa, verbo Episcopus. num. 2. & Rodriguez  
in Sum. tom. 2. cap. 6. num. 6. referens, hoc fuisse  
iudicium plurium Doctorum in Salmaticensi  
Academia, additque D. Thomam, & Caiet. sed  
immerito.

Prima sententia affirmans votum religionis non frangi per acceptationem Episcopatus.

Fundamentum huius sententiae est, argumentum  
secundum superius factum, quod in eo casu non  
frangitur votum, sed in melius commutatur, & con-  
sequenter melius impletur, iuxta cap. Scripturae. de  
voto. cap. peruenit. de iureiurando. Et confirmatur,  
quia vinculum maius extinguit minus, ut vinculum  
carnalis matrimonii soluit vinculum voti simplicis  
religionis; ergo multo magis soluet illud vinculum  
spiritualis matrimonii; cum hoc tamen discrimine,  
quod illa prior solutio fit cum peccato, haec verò post-  
erior sine peccato fit; quia cum maiori vinculo ma-  
iore etiam perfectio coniungitur. Et simili modo  
votum solenne in religione laxiori extinguit vincu-  
lum simplicis voti precedentis ingrediendi religio-  
nem strictiorem, iuxta cap. penultimum de Regular. in  
6. Ergo multo magis in praesenti. Tandem confirma-  
tur, quia religiosus professus licite transit ad Episco-  
patum, ut patet cap. vnico 18. q. 1. & est per se notum;  
ergo a fortiori nondum professus, & habens sim-  
plex votum religionis licite transit immediate ad E-  
piscopatum; quia minus ligatus est vinculo religio-  
nis, quam professus religiosus.

2.  
Fundamentum est quod votum non frangitur quando in melius mutatur.

Confirmatur per se notum.

Secunda sententia, quam verissimam censeo, af-  
firmat in primis, votum religionis, quod praecessit  
Episcopatus acceptationem, non extingui, nec im-  
pleri per ascensum ad Episcopatum. Et consequen-  
ter affirmat, peccare illum, qui habens votum reli-  
gionis ante illud impletum statum Episcopatus af-  
sumit sua voluntate; & sine speciali dispensatione.  
Vnde affirmat tertio, eum, qui sic accepit Episcopatu  
cum voto religionis nondum impleto, teneri ad re-  
nunciandum Episcopatu, ut votum religionis im-  
pleat; quantum illi impleto possit iterum acceptare  
Episcopatum, si ad illum eligatur. Hanc sententiam  
insinuauit satis D. Thomas 2. 2. q. 189. a. 3. ad 1. ut infra  
expendemus; & ita intelligit, & sequitur ibi Caieta-  
nus. Et idem tenent ex Theologis Richar. in 4. dist.  
38. a. 5. q. 1. ad 3. & Maior q. 6. & Abulens. q. 94. in c. 30.  
Numer. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 16. q. 2. & ca. 22. q. vlt.  
& oprime Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 17. Ex Cano-  
nibus etiam Abbas Antiquus, & Cardinalis ibi. &  
magis inclinatur Ioan. Andr. & Hostiens. & hic clarius  
in summa titulo de Voto. § Et primum a voto. num. 14.  
Ex Summis Syluest. Verbo Votum. 3. q. 9. & Verb.  
Religio 2. q. 20. Angel. Votum. 3. q. 12. Votum. 3. q. 15. Cor-  
duba in summa Hispana. q. 153. Nouissime Miranda  
in Manual. Praelat. regul. tom. 1. qua. 20. art. 9. & alii,  
quos praedicti referunt.

3.  
Secunda est verissima sententia affirmans eum qui vult religio accipere Episcopatum, si ad illum eligatur, si ad illum eligatur.

Probatum primò ex dicto cap. per tuas, cuius deci-  
sio satis clara, & expressa videtur, licet per varios  
intelle-

4.  
Probatum